



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 47. Stabant autem servi & ministri ad prunas quia frigus erat. v. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

rum peccatorum, & hoc confidentius ago quia video quod nec S. Iohannes istud verbum audiens, illud nulla nota mala insigniuit.

§. 47. *Stabant autem servi & ministri ad prunas quia frigus erat. v. 18.*

Stabant quia serui erant, etiam mancipia isti ministri, quorum officium est stare ad seruitium Dominorum suorum, sed stabant sic, ut inter se sibi quoque starent, nempe ad commodum suum, ad prunas ut caleficerent, quia frigus erat, & quidem duplex frigus spirituale quidem in cordibus eorum stando contra ignem amoris Dei & iustitiae, adherentes iniquitati ad iniquitatem Principum suorum: Corporale autem frigus quia noctes & quinoctiales solent, ceteris non obstantibus, ut calido vento flante fit vel caelo pluente australi, esse satis acres & acutae & magis sentit quinoctialia frigora, quam brumalia ipsa siue solstitialia.

Deus meus utrumque frigus est valde noxium, sed magis spirituale, ex frigore tamen corporali disco aestimare spirituale; quia ego carnalis sum, non sapiens ea quae sunt spiritus, nisi per carnalia aenigmata, vel uti Philosophus ait per phantasmata. Multum tamen capio & sapio de spirituali frigore, cum illud speculor per phantasma frigoris corporalis. Avere igitur a me Domine malum illud frigus spirituale, uti soleo ego a me accere frigus corporale prunis, lignis, vestibus & hypocaustis.

§. 47. *Et calefaciebant se. v. 18.*

Externe quidem corpus, faciem, manus, pedes, fovebant, interne spiritum anima ipsorum manebat in frigore: erant apud ignem caelestem qui flagrabat & nullus eorum sese ei applicabat, nec ab eo calefieri optabat ardebat ipse ignis amore ipsorum, & consumebatur passionibus, & nullus accedebat, ut incalesceret spiritu, fide, compassione: Erat insuper lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in mundo erat, & apud ipsos, & mundus eum non cognovit, sed neque Iudeorum vel Principes vel subditi. Heu mundi caecitas! omnes in corporalibus malis arcendis & bonis corporeis quaerendis sumus providi, imo lyncei, sed quam in spiritualibus hebetes, obtusi & caeci.

O Deus calefiam obsecro semper ex tuo igne divino, ita ardeam in corde ex tuo igne interius, ut non curem, aut multum sapiat mihi calor eternus, ita calebat S. Franciscus ille tuus nudus & pauper, ut tamen amplius suo frigentem ut focus luculentus animaret. O si & ego totus sic ex te conflagra.